

1503 complexus, *Omnia se reipublicæ debere profiteri: nihil esse quod de se Senatus polliceri sibi non posset.* Cumque ab legato sermo de Cæsare institutus esset, propterea quod non nullis ab hominibus prædicabatur, illum ab Julio fotum ac defensum iri: legato, uti nihil ejusmodi vereretur, fidem fecit. Illud etiam se dixit cupere, ut quæ Cæsar posse ficeret in Flaminia oppida, ea illi eriperentur. quæ quidem certe oratio gratissima civitati fuit. Inter hæc Pandolphus, nonnullorum factione inter eos excitata, ab Ariminensibus recipitur.

Florentini, quod ægre ferrent Faventiam in reipublicæ potestatem venire, copias miserant, quæ civium parti, qui secum sentiebant, auxilio essent, ut sibi potius, quam reipublicæ se dederent. Ea pars milites & agrestes homines in oppidum introduxerat: ab iis reliqui perterrebantur, ne portas legato aperirent. itaque milites, quos Guidus Ubaldus Senatui pollicitus fuerat, legatus ab eo accersit: alios comparat, & deleatum habet: tormenta adduci imperat: equites mittit, qui Florentinorum copias in montibus morentur & repellant. Dum hæc foris administrantur, Senatus legatos creavit, qui Romam profici-scerentur Julio Pontifici Maximo gratulatum, ob propensam in illum reipublicæ voluntatem, octo: quod ante eam diem nunquam acciderat, ut tot legati ad Pontificem non Venetum mitterentur. Florentini, cum potiri Faventia non possent, per Franciscum Soderinum civem suum Cardinalem egerunt, ut is suspectam Julio rempublicam faceret: *Omnes ejus oppidi fines, arcemque oppidi jam in reipublicæ potestate esse: oppidum etiam brevi futurum: id illam, non tam ut ab Cæsare male parta extorqueantur, quam ut sibi acquirat, contendere, & tantopere conari: quod semel Veneti ceperint, nunquam eos reddere consuevit: ipsum eam rem fero cognitum, cum jam ii rerum domini ejus permisso fuerint.* De eo Antonius legatus certior factus, ut Senatum purgaret, Julium adiit, rogavitque, ne reipublicæ calumniatoribus aures tribueret, quos non defore sciebat. cumque quod visum fuit in eam sententiam disisset,